

tur, ut dictum in axioma 3. Sed heterodoxi prius amplectuntur doctrinas suas, quam eas ad scripturam examinent: nam ediscunt libellos catecheticos, & ex iis hauriunt doctrinas jam definitas, ac determinatas, antequam ullam sacram paginam inspexerint, ut patet ex suppos. 6. Ergo non sequuntur methodum suam fundamentalem. Quod erat demonstrandum.

IV. Demonstratio. Qui munus in se suscipit, rem suis rationibus & momentis expendendi, is non praestat, quod suscepit, si stat alieno judicio, neglecta cognitione causae, ut patet ex axiom. 4. Sed plerique heterodoxi in multis, quae non satis cognoscunt, nec cognoscere possunt, stant alieno judicio, nempe eorum, qui confessionem fidei adornarunt, ut patet ex hyp. 7. Ergo illi non praestant, quod in se suscep- runt: ergo non sequuntur methodum suam fundamentalem. Quod erat demonstrandum.

V. Demonstratio. Qui sibi certam quandam regulam proponit, ex qua judicet, is animo æquè benevolo & attento audire debet omnes, qui ad hanc regulam appellant; agitque laudabiliter, si quam diligentissime inspiciat, quinam inter dissidentes propriùs ad regulam propositam accedant, ut dictum in axiom. 5. Sed quilibet privatus apud heterodoxos sibi proponit certam quandam regulam, nempe scripturam sacram, ex qua, & secundum quam judicet; adhæc variæ sunt sectæ inter se discrepantes, quae ad unam eandemque regulam appellant, scripturam sacram unicè inclamantes, ut patet ex primo principio universali. Ergo quilibet heterodoxus debet varias illas sectas omnes animo æquè benevolo & attento audire; agitque laudabiliter, si quam diligentissime inspiciat, quinam inter dissidentes propriùs ad regulam accedant. Atqui id multi ex heterodoxis non faciunt, neque, si faciat quispiam, apud suos censebitur facere laudabiliter: plerique enim Lutherani, si fundamenta doctrinæ Calvinianæ & Socinianæ diligenter explorare velint, vituperio potius quam laude à suis censem tur digni, ut patet ex hyp. 8. Ergo heterodoxi non sequuntur methodum suam fundamentalem. Quod erat demonstrandum.

Omnia ad Majorem Dei Gloriam.